





*0*  
DE  
**DONATIONE MORTIS CAVSA**

EX PRINCIPIIS  
**ANTIQVI IURIS GERMANICI**  
NON REVOCABILI

\*\*\*\*\*  
PRAESIDE  
**GEORGIO FRIDERICO**  
**KRAVSIO D**

DIGESTI INFORTIATI ET NOVI PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO CVRIAEC PROVINCIALIS  
CONSISTORII ECCLESIASTICI SCABINATVS  
ET FACVLTATIS IURIDICAE ASSESSORE

DIE XVIII. IUNII A. R. G. cI*o* I*o* CCLXIV

*262 ii*  
*IN AUDITORIO MAIORE*

PVBLICE DISSERET

**IOANNES CAROLVS KESSEL**


LONGOSALISSA THVRINGVS

---

VITEMBERGAE

PRELO EPHRAIM GOTTLÖB EICHSFELDI

ACADEMIAE A TYPIS



DONATIONE MORTIS CVASY

EX FRENOPOLIS

ANTIGRAVITATIS GERMANICI

NON DEUSQVILLI

CONTRARIO QVOCVLLA CAVINATAS

PRAEVIDE

GEORGIO RIDEERICO

KRASIO D

DIGESTI INSTRUCTA ET NIVI PROTESSORE

HABENTE QVIMANIA GANIAE MONUMENATIS

CONFORTANTIS QVOCVLLA CAVINATAS

ET TACITUR QVOCVLLA ASSISTORE

PROTIVAM QVOCVLLA A.D. 1511 CCLIXIA

IN LIBRIOLOGIO MUSOR

TALVIC DISSETAT


JOANNES CAROLVS KESSLI

LONDINENSIS TYPHEUS

ATLANTICA

GREGORIUS HENRICUS GOTTLIEB BUCHENBERG

ACADEMIAE A DYLIS



DE  
DONATIONE MORTIS CAVSA  
EX PRINCIPIIS  
IVRIS ANTIQVI GERMANICI  
NON REVOCABILI

§. I.

IVS ROMANVM DONATIONES MORTIS CAVSA  
PRO LVBITV REVOCARE PERMITTIT.

**D**ONATIONES, quae sub mortis sunt conditio-  
nem, si ex iuris romani eas aestimemus  
rationibus, donatorem pro lubitu suo reuo-  
re posse, ne Iustinianei quidem noui ignorant; Etenim con-  
ceptis IMPERATOR <sup>a)</sup> docet verbis, eum, qui ita donat,  
rem donatam recipere posse, si eum donationis poenituerit.  
Tamen si enim omnis donatio ad perfectionem suam donatarii

A 2 postu.

## IV

## DE DONATIONE

postulet acceptationem; id quod contra PETRVM A LVDEWIG, hoc negantem, <sup>b)</sup> inter alios solide euicit GVNDLINGIVS, <sup>c)</sup> quemadmodum ipse quoque IVSTINIANVS <sup>d)</sup> passionis naturam in donationibus luculenter agnoscit: tamen ex hocce pacto tale ius quaesitum donatario mortis causa subnasci noluerunt leges romanae, vt sine huius voluntate reuocari nequeat huiusmodi donatio, adeo quidem, vt licet iam tradita fuerit res donatario, nihilominus eius repetendae facultas donatori, dum vinit, maneat integra. Evidem ambiguum quondam fuisse prudentibus romanis, vtrum donationis, an legati instar, obtinere oporteat mortis causa donations, idem ille IVSTINIANVS imperator monet; <sup>e)</sup> quo de Ictorum dissensu copiosius exposuit Ictus Bataeus, BALTHASAR BRANCHV: <sup>f)</sup> sed vicit, et ab imperatore comprobata est, sententia PAVLLI, IVLIANI, VLPIANI, aliquumque, mortis causa donations per omnia sere legatis connumerandas esse, existimantium. <sup>g)</sup> Sicuti ergo in legatis condendis ambulatoriam testatoris voluntatem esse permiserunt iura, vsque ad supremum vitae exitum: <sup>h)</sup> ita idem quoque in donationibus mortis causa statuendum censuerunt plerique Iurisconsulti romani, adeo quidem, vt etiam MARCIANVS <sup>i)</sup> existimat, eas hoc ipso in donationem inter viuos degenerare, si ita donetur mortis causa, vt nullo casu reuocetur.

a) IVSTINIANVS in §. 1. I. de donatione.

b) a LVDEWIG in Dissert. de differentiis iuris rom. et german. in donationibus et acceptatione. habita Hafae anno 1721.

c) in

- c) in GYNDLINGIANIS, Part. XXIX. obs. 2. sequ.
- d) NOVELLA IVSTINIANI LXXXVII. c. I.
- e) citat. §. I. I. de donation.
- f) BRANCHV obseruation. ad ius roman. cap. IV.
- g) L. 15. L. 37. pr. D. de mort. caus. donat. add. CORNEL. VAN BYNKERSHOEK obseruat. iur. rom. L. VII. c. 7.
- b) L. 4. D. de admend. vel transfer. legat.
- i) L. 27. j. L. 32. et 35. §. 2. D. de mort. caus. danar.

## §. II.

DVBIA QVAEDAM MEMORANTVR, QVAE REVO-  
CABILITATI ISTARVM DONATIONVM OB-  
STARE VIDENTVR.

**A**T mirum forsitan videbitur, qui factum sit, vt legatis exaequandas censuerint romanj mortis causa donationes, cum tamen admodum haec discrepent a natura legatorum, quorum quippe conditor non pactus est cum legatario, ideoque ab hoc impediri nequit, quo minus libere possit a lege sua recedere; cum e contrario inter eum, qui mortis causa donat, ac donatarium acceptantem, hac ipsa mutui consensus declaratione, conuentio pactumque intercedat, ex quo huic ius vindetur quae situm enasci, sine eius voluntate haut reuocandum; quandoquidem extra dubitationem positum est, romanorum quoque Iurium architectos pacta conuenta seruari voluisse, eosque graue credidisse, fidem datam fallere. a) Vnde illi, quamuis non ex omnibus pactis promiscue dare actionem consultum duxerint, exceptionem tamen ex pactis seriis atque

## VI

## DE DONATIONE

honestis non denegarunt. *b)* Neque etiam apposita mortis conditio efficere poterit, ut a reliquis donationibus inter viuos celebratis, quae quippe pacta sunt legitima, genere penitus differant eae, quae mortis causa fiunt, cum expediti alias iuris sit, regulariter eum, qui sub conditione quadam pactus est, hac pendente, ab obligatione contracta recedere non posse, verum ad expectandum conditionis euentum esse obstrictum. *c)* Ut taceam, mortis adiectionem, vtpote ratione quaestioneeris, an? plane certissimae, ac saltem intuitu quaestioneeris, quando? incertae, ne quidem pro conditione proprie sic dicta habendam, verum donationes mortis causa, ex ipsa romani iuris analogia, *d)* pactionibus potius sub die initis, accensendas esse.

*a)* L. I. princ. D. de constituta pecunia, add. SENECA de beneficiis. Lib. V. c. XXI.

*b)* L. 7. §. 4. et 7. D. de pactionibus, add. GELLIUS noct. Attic. Lib. XX. c. 1. et MERILLIVS observ. Lib. VII. c. 39.

*c)* L. 9. et 11. D. qui potiores in pignore.

*d)* argum. L. 4. §. 1. D. quando dies legator, et §. 9. I. de hered. instit. iung. CVIACIVS Obseruat. L. III. c. XXXIV. et GELLIUS noct. Attic. L. VI. c. XIII. ac L. VII. c. XXI.

## §. III.

CAUSA REVOCABILITATIS DONATIONVM M. C.  
ODIVM AC PROHIBITIO PACTORVM SVCCES-  
SORIORVM ADQVISITIVORVM.

**I**GTVR, ne quid nos teneat, meminisse oportebit, pacta successoria, praesertim adquisitiua, improbasse romanos  
legisla-

legislatores, atque obligationem exinde enasci noluisse, ideo, quod votum captandae mortis ex huiusmodi pactionibus prominere ipsis visum est, easque periculosi ac tristis euentus plena, et contra bonos mores initas crediderunt.<sup>a)</sup> Neque enim cuiquam facile incognitum esse poterit, qui non prorsus in Latio hospes est, quam frequens hac in parte romano-rum fuerit improbitas, ut illi, quibus certa quaedam successio-  
nis spes obtigerat, non impatienter modo longiorem eius ferrent vitam, ex cuius decessu opimum idque certum expe-  
ctabant lucrum, verum etiam ferro, venenis, aliisque malis artibus fructum successionis maturare haut fuerint veriti; cuius nequitiae exempla quaedam commemorauit A LEYSER.<sup>b)</sup> Quod si nunc porro cogitemus, mortis causa donationibus vere pactum quoddam successorium adquisituum, intuitu re-  
rum in mortis euentum donatarum, inesse, et votum captan-  
dae mortis in hisce donationibus peraeque, ac in pactionibus de tota hereditate initis, metuendum fuisse, facile constabit ra-  
tio, cur legislatores romani, hac in re, genium gentis cogitan-  
tes, non immerito suspiciosi, ex ipsis in mortis euentum exer-  
citis liberalitatibus haut certiores spem enasci voluerint do-  
natariis, ac si res ultima quadam voluntate illis fuisse relicta,  
ne scilicet donatori isthaec sua beneficentia tam facile existat  
perniciosa, isque arbitrium habeat saluum, istos prae-mature  
nimis bonis suis inhiantes coruos ac vultures, quo titulo

PETRO-

## VIII

## DE DONATIONE

PETRONIVS<sup>c)</sup> et SENECA<sup>d)</sup> apposite hereditetas insig-  
nit, pro lubitu suo abigendi.

a) vid. L. II. C. de transact. iung. L. 15. et 19. itemque L. 30. C. de pacis.

b) a LEYSER Meditat. ad Pand. Spec. XLIII. med. I. et II.

c) PETRONIVS in Satyrico p. 152. edit. Francof.

d) SENECA epist. 95.

## §. IV.

IVRE GERMANICO PACTA SVCCESSORIA ODIO  
CARENT, AC, RITE CELEBRATA, PERFECTE  
OBLIGANT.

Iam vero, si has romanae iurisprudentiae rationes cum iuriis germanici contendere velimus principiis, sua sponte intelligetur, licentiam illam reuocandae donationis mortis causa, quam romana donatoribus indulgent iura, non peraeque cum analogia antiqui iuris patrii nostri conuenire. Mores sane maiorum nostrorum ignoret, necessum est, qui nesciat, tantam antiquitus fuisse germanarum gentium cum fortitudinem in bello, tum in seruandis promissis religionem atque constantiam, ut adeo ipsis apud TACITVM eximia haec tribuatur gloria: *nullos mortalium armis aut fide ante germanos esse;*<sup>a)</sup> eosque tanta constantia vnius verbi stetisse fide, quanta vix romani promissa sua seruare consueuerant, si verborum solemnibus formulis fidem obstrinxerant suam, ex diuerso isto loquendi vsu Latinorum, in plurali plerunque dicere solitorum numero: VERBIS se obligare, VERBIS stare; et

ex

ex aduerso Germanorum, in singulari numero rem efferentium: *sein WORT geben*; itemque: *sein WORT* (non, *seine WOERTER:*) *halten*; ingeniose illustrauit PETRVS A LVDEWIG; <sup>b)</sup> quemadmodum etiam consuetudinum Saxoniarum Allemannicarumque compilatores istam iuris germanici, naturali iure suffultam, inculcant regulam: *Was der Mann gelobet, soll er stets halten.* <sup>c)</sup> Quod vero speciatim ad pacta attinet successoria, nunquam ea maioribus nostris infedit opinio, pacta haecce contra bonos mores, et tristis euenter plena esse, quin potius ea vel maxime honesta habuerint, ac, quo magis illi quondam, TACITO <sup>d)</sup> teste, vsu caruerunt testamentorum, eo frequentiora iis fuerint successoriae pactiones, <sup>e)</sup> quas perinde, ut alias seria mente initas conuentiones, promiscua reuocatione promissi non deludere patiuntur patria nostra iura. <sup>f)</sup>

a) TACITVS annalium L. XIII. c. LIV.

b) PETRVS A LVDEWIG in *Dissert.* quam supra §. I. citauimus.

c) IUS PROVINCIALE SAXONICVM Lib. I. art. VII. et ALLEMANNICVM cap. CCLIX. edit. BERGERI pag. 21. add. HERTII paroem: iur. german. paroem. IX.

d) TACITVS de moribus Germanorum c. XX.

e) vid. HEINECCI elementa iuris germanici Lib. II. Tit. VI. §. CXLV.

f) ENGAV element. iur. german. civ. Lib. II. §. CCCXXIII. sequ. STRYKIVS de successione ab intestato. *Dissert.* VIII. §. XXXVII. seqq.

## §. V.

NON MORTIS CAVSA DONATIONES IN GENERE,  
SED SALTEM VALITVRAS IN VIM VLTIMAE  
VOLVNTATIS, IGNORARVNT GERMANI,  
DONEC VSUS ALIQVIS ROMANI IVRIS  
AD IPSOS PERVENIT.

**E**quidem inanis foret omnis nostra de efficacia donationum mortis causa ex veteris iuris germanici principiis disputatio, si absolute verum esset, quod ait BEYERVS<sup>a)</sup> istam donationum speciem pariter quondam ignotam fuisse Germanis, ac testamenta. At enim vero, illud quidem concedimus Beyero, istiusmodi mortis causa donationes, quae non vi pateti obligarunt donatorem, sed naturam ultimae voluntatis induerunt, ignorasse maiores nostros, usque dum iuris romani usus aliquis penes eos inualuit. Praeterea hoc quoque damus, illos nec promiscue permisisse, donationes istas, si immobilia concernebant, absque heredum fieri consensu, nec viribus iam destituto, et in mortis quasi faucibus haerenti, liberam amplius donandi facultatem indulsisse; id quod per multis iurium germanicorum constat ex monumentis, quorum recensendorum otium nobis faciunt cum ipse BEYERVS,<sup>b)</sup> tum LVDEWIGIVS,<sup>c)</sup> atque HEINECCIVS.<sup>d)</sup> Hoc tamen nemini persuadetur, neque etiam persuadere cuiquam voluisse Beyerum putamus, ignorasse penitus aut impro-

improbasse Germanos veteres, ad exercendas liberalitates, teste TACITO,<sup>e)</sup> admodum proclives, cunctas sub mortis conditione factas donationes, etiamsi, pro rerum donandarum conditione, consensus heredum imperatus, et donator vegetus, atque, secundum iurium praescripta, satis adhuc fuerit robustus. Maiores sane nostros subinde liberalitatis suae fructum in mortis differre consueuisse euentum, exinde facile patet, quod illis haud infrequens fuit, omnia adeo bona sua per *adفاتيما* vel *ادراما*<sup>f)</sup> transferre in alterum, vel alimentiis, vel ipsa rei possessione, eiusque fructibus, ad dies vitae referuatis, prout ex **LEGE SALICA,**<sup>g)</sup> **LEG. ANGLIORVM,**<sup>h)</sup> et **SAXONVM,**<sup>i)</sup> itemque ex **MARCVLFVSI** formulis,<sup>k)</sup> ad intelligendum satis erit.

a) BEYERVS in Specim iur. germ. L. II. c. XI. §. XXI.

b) IDEM cit. L. II. c. XI.

c) A LYDEWIG in *Dissert supra §. I. citata. Different.* III. cap. VI. §. 4.

d) HEINECCIVS in element. iur. germ. L. II. Tit. VI. §. CLXIII. sequ. et Tit. XIII. §. CCCLV. sequ.

e) TACITVS de moribus germ. cap. XIV. XV. et XXI.

f) quo de ritu vid HEINECCIVS, cit. L. II. Tit. VI. §. CLI. sequ.

g) **LEX SALICA** Tit. XLIX.

h) **LEX ANGLIORVM et WERINORVM** Tit. XIII.

i) **LEX SAXONVM** Tit. XV. Leg. II et III.

k) **MARCVLFVSI** formul. L. I. c. XII. L. II. c. VII. VIII. et XIII.

## §. VI.

NVLLVM VETERES GERMANI, INTER DONA-  
TIONES M. C. ET INTER VIVOS, QVOD AD  
POTESTATEM REVOCANDI, AGNO-  
VERVNT DISCRIMEN.

HOC TAMEN SENSIM EX IVRE ROMANO AD-  
OPTATVM ESSE, LEX RIPVARIORVM  
PRODIT.

**Q**uodsi autem, vt vidimus, non prorsus inusitatum Ger-  
manis priscis fuit, in mortis euentum differre plenum li-  
beralitatum suarum effectum, neque tamen illi, priusquam ro-  
mani juris aliquis ad eos penetrauit usus, vltimis voluntati-  
bus bona sua in alios deriuare consueuerunt: merito exinde  
colligitur, antiquitus, inter donationes, quae in mortis fiunt  
euentum, et quae e contrario sine ista conditione conseruntur,  
quod ad potestatem reuocandi, nullum statuisse discrimen Ger-  
manos, verum istas mortis causa donationes penes illos per-  
aeque obligatorias atque irreuocabiles habitas fuisse, ac reli-  
quias donationes, inter viuos factas, in quibus, prout ex **LE-**  
**GIBVS**, in primis **RIPVARIORVM**, <sup>a)</sup> atque **LONGOBAR-**  
**DORVM** <sup>b)</sup> constat, fere tunc saltem, si forte inefficiosae eae  
fuerant, aut donatarius beneficio se praestiterit indignum, aut  
alio migrare voluerit, reuocationi dabatur locus. Evidem,  
ne quid dissimulemus, manifeste nobis obstat videbitur **LEX**  
WISI-

WISIGOTHORVM, quae aperte potestatem reuocandi facit ei, qui ita donat, vt res donata denum post suam mortem ad alterum pertineat. Audiamus ipsa legis verba: <sup>c)</sup> *Qui vero sub hac occasione largitur, vt eandem rem ipse, qui donat, usufructuari iure possideat, et ita post eius mortem ad illum, cui donata fuerit, res donata pertineat:* QVIA SIMILITVDO EST TESTAMENTI, HABEBIT LICENTIAM IMMVTANDI VOLVNTATEM SVAM, QVANDO VOLVERIT, ETIAMSI IN NVLLO LAESVM SE FVISSE DIXERIT. At enim vero, quis est, qui hic non statim persentiscat mixturam iuris romani, cui Wifigothi, scite monente HEINECCIO, <sup>d)</sup> cum ipsum allegante locum, diuturna consuetudine cum hominibus prouincialibus, romano iuri innutritis, iamiam adsueuerant, vsumque adoptauerant testamentorum; cuiusmodi iurum priorum romanorumque infinitis mixtionibus, siisque haut raro admodum peruersis, et cum genuinis domestici iuris principiis manifeste pugnantibus, quarum exempla quaedam, ad ipsam de donationibus doctrinam pertinentia, notauit LVDEWIGRVS, <sup>e)</sup> sensim leges germanicas infectas et desormatas esse, nemo in pernoscendis antiquis Germanorum iuribus aliquam operam ponens, ignorare poterit.

a) LEX RIPVARIORVM Tit. LIX. Leg. IX.

b) L. LONGOBARD. L. II. Tit. XIV. §. XXIV. L. III. Tit. XIV. L. V.  
Tit. XV. §. III.

c) L. WISIGOTHORVM Lib. V. Tit. II. Leg. VI.

d) HEINECCIVS Elem. iur. germ. L. II. Tit. V I. §. CLIII.

e) A LYDEWIG cit. differt. praeferunt in different. I. cap. III. §. 3. sequent.

### §. VII.

VSVS FORI PRINCIPIVM IVRIS GERMANICI  
ANTIQUI DE MORTIS CAVSA DONATIONVM  
IRREVOCABILITATE HVCDVM DESERVIT  
IVRIS POTIVS ROMANI PLACITA  
SECVTVS.

Ceterum, quo magis in Germania sensim romana iura caput extollere pre iuribus patriis cooperunt: eo firmius hue usque in foris nostris inualuit principium, ex natura scilicet ultimarum voluntatum aestimandam esse efficaciam mortis causa donationum. Hinc plane mirum non est, cur ad hasce liberalitates exercendas, nisi coram iudice fiant, id quod intuitu donationis omnium bonorum necessario requirit ius nostrum electorale Saxonicum, <sup>a)</sup> regulariter quinque testium praesentiam praxis desideret? <sup>b)</sup> itemque, cur eae credantur euanscere, si donatarius viuo donatore decesserit, nec heredes illius a donatore fuerint substituti? <sup>c)</sup> nec non porro, quod praecipue huc pertinet, cur, eam pro lubitu reuocare donatorem posse, <sup>d)</sup> quid? quod ipsam mortis causa donationis substantiam peruersti, eamque in donationem inter vivos transformari, si donator de ea haut reuocanda cum donatario

natario pactus sit, communis hodie scriptorum pragmaticorum esse soleat sententia.<sup>a)</sup> Sicuti vero ex iis, quae in superioribus disputata sunt paragraphis, aperte patescit, adueniam peregrinum, ius puta romanum, ipsum hospitem, iura videlicet domestica antiqua, ut in plerisque aliis legitimae nostrae scientiae partibus, sic praeferunt in hac quoque doctrina, de perfecta donationum, quae mortis causa sunt, obligatione, de sede sua disturbasse: ita Ordo noster, superiore anno ab ELECTORE qnondam nostro GLORIOSISSIMAE MEMORIAE, cuius pramaturum obitum adhuc omnes acerbe lugemus, nouum iuris Saxonici codicem apparatu, sententiam suam, quid in iuribus huicmodi visitatis emendatione quadam dignum videatur, dicere iussus, inter alia hoc etiam de facultate reuocandarum donationum mortis causa pariter, actionum earum dotalium, quae mixtae appellari solent, nec immerito a LEYSERO<sup>f)</sup> verum ex germanicis romanisque iuribus conflatum monstrum vocantur, subnatum dubium indicavit, atque, num SERENISSIMVS SAXONVM ADMINISTRATOR bono publico conducibile sit arbitratus, ut hac parte prisci iuris germanici principia velut postlimino quodam reducantur, devote expectat.

- a) CONSTITUTIO ELECTORALIS SAXON. I. PART. III.*
- b) CARPZOVIVS in defin. for. ad cir. Conf. Def. XXIX.*
- c) STRYKIVS in Vſu Pand. mod. L. XXXIX. Tit. VI. §. VII. et VIII.*
- d) HORNIIVS consultar. et respons. Clas. X. respōſo LV. et XXIII. itemque BERLICHIVS conclusion. practic. Part. III. conclus. II. no. 52.*
- e) WERNHERVS obſeruar. forenſ. Part. VIII. obſ. CCCXCIVII. et CARPZOVIVS Defin. forenſ. P. III. conf. I. defin. XXXIX.*
- f) A LEYSER Meditat. ad Pandect. Spec. CCCVII. med. I. ſequ.*





**ULB Halle**  
003 770 109

3



SB







DE  
DONATIONE MORTIS CAVSA  
EX PRINCIPIIS  
ANTIQUI IURIS GERMANICI  
NON REVOCABILI

1764/4  
PRAESIDE  
GEORGIO FRIDERICO  
KRAVSIO D

DIGESTI INFORTIATI ET NOVI PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO CVRIAEC PROVINCIALIS  
CONSISTORII ECCLESIASTICI SCABINATVS  
ET FACVLTATIS IVRIDICAE ASSESSORE

DIE XVIII. IUNI A. R. G. cI*o* I*o* CCLXIV

IN AVDITORIO MAIORE

PVBLICE DISSERET

IOANNES CAROLVS KESSEL

LONGOSALISSA THVRINGVS

VITEMBERGAE  
PRELO EPHRAIM GOTTLOR EICHSFELDI  
ACADEMIAE A TYPIS

